

De admirabili radice ipecacuanhae virtute in curandis febribus tum automnalibus, tum lentis, tum aliis sive continuis, sive intermittentibus, sedem in primis viis habentibus / [Carlo Gianella].

Contributors

Gianella, Carlo, 1696-1759.

Publication/Creation

Patavii : 'Typis Seminarii', 1754.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/arvsq62c>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DE ADMIRABILI RADICIS
IPECCACUANHÆ
VIRTUTE

In curandis Febris tum autumnalibus , tum
lentis , tum aliis five continuis , five
intermittentibus , sedem in primis
viis habentibus .

DISSERTATIO
CAROLI GIANELLA
IN PUBLICO PATAVINO GYMNASIO

Medicinæ Theoricæ Professoris extraordinarii .



PATAVII . MDCCLIV.
TYPIS SEMINARIJ.
SUPERIORUM PERMISSU.

34486





Uod in Mechanicis evenire solet, ut invento aliquo instrumento pro unius rei commodo, postea ad aliarum rerum utilitates extendatur, id identidem in Medicina facienda evenire observamus. Nihil enim est simul inventum, & perfectum, & cum proprietas, & Medicamentorum vires non nisi post repetitas observationes, & experimenta detegantur, evenit sæpenumero, ut majora remedia ad novos usus quotidie extendantur. Hoc certe, ut reliqua omnia silentio prætermittam, hisce nostris posterioribus temporibus in Radicis Ipeccacuanhæ usu comprobatum est, quæ ad dysenterias vincendas prius inventa, postea in sanguineis fluxibus tum pectoris, tum uteri curandis usurpata nunc temporis pro uno, optimo, constantissimo, & omnibus aliis antepponendo remedio, aliquando tamen Rhabarbaro in consortium arcessito, in curandis febribus tum autumnalibus, tum lentis, tum aliis sive intermittentibus, sive continuis suum ignem in primis viis habentibus, & quæ aliquando Kinæ Kinæ usu aut non cedunt, aut recidere solent, si veræ morbi Pathologiæ fides, & rationi, & quotidianæ experientiæ adhibenda sit,

(IV.)

proponitur , exhibeturque . Equidem scio a Medicis emunctæ naris in usum quotidie revocari Ipeccacuanhæ Radicem in febribus tum intermittentibus , tum continuis , nec non etiam in putridis malignis cum exanthematibus ; at in solis supra recensitis remediis totam harum febrium curationem consistere , a nemine alio , quod quidem sciam , propositum fuit . Exhibetur hæc radix in aquam infusa mane partitis vicibus , jejuno stomacho ad plures dies , & postquam bene interiores ventriculi , intestinorum , mesenterii , aliarumque partium vitiosi humores purgati sunt , si febres non cedant , ad Rhabarbarum fit transitus , quod singulis , vel alternis diebus , vel ante prandium , vel quatuor horis a prandio exhibendum est , & neque tutius , neque facilius , atque jucundius curatio ulla institui potest .

Verum enim vero , ut hujus Therapejæ rationalis fundamentum penitus cognoscatur , est altius harum febrium Pathologia inquirenda . Æstivis temporibus urente Sirio majores fiunt exhalationes , & vapores . Nam radiorum solarium percussionibus aqueæ & cum aqueis canosæ particulæ in aera feruntur , quæ denuo ob earumdem pondus , præcipue si simul jungantur , in terram relabuntur , & per os cum saliva ingesta ventriculi , & intestinorum excretoria vasa , atque eorumdem succos infarciunt . Hinc succorum crassities , tenacitas , lentorque generari incipit , qui quotidie incrementa suscipit ex vinorum aciditate , ex aquarum impuritate , ex ciborum tenacitate , & ex fructuum fugacium supervacanea humiditate . Interim Chylus impurus redditur , & Bilis , Pancreatis , & intestinorum glandularum vires enervantur , ex quibus vitiosi humores producantur , qui per Galaxiam cum sanguine incipiunt commisceri . Quousque tamen calor , & temporis æquabilitas per-

perdurât , & cutis pori aperti sunt , & vegetior natura permanet , fuscepta a cruoris massa vitiosa excrementa per æquabilem perspirationem eliminantur . At adventante Autumno modo calor , modo frigus supervenire incipit , angustiores sunt pororum transitus , glutinosa , & crassa retinentur , & vasorum stipationes fiunt , quia manantia corpuscula , ut inquit Celsus , per invisibilia foramina subsistendo iter claudunt , unde fluidorum massa ponderosior facta vitatur , virium languor incipit , oris amarities molestat , perturbantur somni , & fames perit ; quæ omnia symptomata majorem fomitem possunt suscipere ex diminuto tunc temporis solis calore , qui cum vim non habeat aut in altum tollendi , aut dissipandi terraqueæ molis impuritates , in causa est , ut istæ cum aere salivam inficiant , & cum saliva , ut ita dicam , fermenta omnia . Porro hisce in febribus tum plus in corporis peripheria excitatur crudorum vaporum , quam dissipari possit , tum plus crudorum humorum in ventriculo gignitur , quam concoqui . Hinc ægri anxii se se per lectulum jactant , neque uno loco quiescere possunt . Et quia ventriculi tunicis mala quædam qualitas infixæ est , sæpe etiam vomitus in paroxysmis excitatur . Non raro etiam ob summam humorum tenacitatem diu perdurant , & sudores remittente febre erumpunt , qui licet videantur judicare morbum , nihil tamen decernunt , quin imo longiores febres in ipsis sudoribus evadunt , præcipue tamen si aer humidus sit , qui cutis poros cum infarciat , & Atmosphæram leviolem reddat particulis nitrosis ab aqueis , & sulphureis corporibus plurimum occupatis , sanguinem fere vapidum reddit , corporis fibras laxat , unde vires fiunt languidiores . Quibus accedunt lienis , & hepatis obstructions , & urinæ crassæ cum sedimentibus . Febres hæ aliquando intermittentes sunt , & ut

plurimum tertianæ duplices , aliquando semitertianæ , & aliquando continuæ continentes , remittentes tamen , quæ laticæ dici possunt cum Avicenna , ob occultam , quam servant , accessionem . Et licet Ballonius distinguat febres in venosas , & in gastricas , idest in febres , quæ vitium venosi generis sequuntur , & in febres , quæ a vitio humorum in ventriculo , in intestinis , mesenterioque contentorum producuntur ; hæ febres de quibus nunc loquimur , mixtæ ex utrisque appellari possunt , cum universalem tum succorum primarum viarum , tum venosi generis corruptelam sequantur .

At sentio nonnullos me corripere , quia harum febrium fomitem in tam universali humorum corruptione constituo . Nam a Villisio culpatur tantum vel acris , vel acida sanguinis diathesis , quæ Chylum , seu succum nutritium non subigit , sed in materiam , quæ quotidie ebullit , transmutat ; A Deleboe Sylvio succus tantum pancreaticus , qui scilicet in ductibus pancreatis lateralibus obstructis moram patitur , & acescit , mox , obice superato , intra duodenum una cum bile æstuat , & in sanguinem per chyli semitam periodice ascendens febriles paroxysmos inducit ; A Fernelio vero in Pancreate & Mesenterio febrilis Ignis stabilitur ; Et tandem a multis Practicis exiguæ molis fermentum febrile esse asseritur , quia evincitur cortice febrifuga , quæ aliquando absque ulla sensibili evacuatione aut per alvum , aut per sudores , aut per urinas febres extirpat .

Porro hæc omnia concedenda sunt , ubi febres tertianæ tantum sunt , aut si duplices sint , ad perfectam semper singulis periodis Apyrexiam perducuntur , absque virium prostratione , nausea , inquietudine , vigiliis . At in iis febribus , in quibus horror , aut rigor universalis , tremo-

mores convulsivi , & longi , lumbago , vomitus , angores , inquietudines , cibi fastidium , oris amaritudo , aut insulfitas , virium debilitas , sudores , urinæ crassæ , vigiliæ , sitis , præcordiorum anxietates , & alia symptomata apparent , & quæ autumnî tempore , Austro flante in regionibus humidis , & aeris crassitie fiunt , præter ventriculi vitium , præter bilis , pancreatis depravationem , etiam chylosi succi glutinationem in plexu nerveo mesenterii , & in cisterna Pacqueti irretitam , & lienis , & Hepatis obstructions clare adesse constat ; quia pari vago , & pari intercostali late per abdomen distributis talia symptomata producantur cum impura sanguinis diathesi , quæ ex sudoribus , languoribus , & urinis crassis earundemque sediminibus arguitur . Et quia hisce in febribus ea sanguinis crasis reperitur ; per quam ad majores contactus deductus sanguis ipse , & lentior factus in vasis capillaribus potissimum resistantiam inducit , insurgunt frequenter modo horror , modo etiam rigor cum tremore , quia a diversimodis particulis vel biliosis , vel pituitosis , vel alterius generis ipsamet cruoris massa afficitur .

Ignis igitur harum febrium non uno tantum loco accenditur , sed & in gastrica , & venosa cacochymia , unde frequenter vel semitertianæ , vel duplices tertianæ oriuntur , quia altera alteri accessio accedit , & urget . Neque hæ febres differunt humoris natura , sed putredinis igne . Et quia aliquando iisdem febribus caloris inæqualitas adjuncta est , est etiam maxima humorum tenacitas , atque crassitudo arguenda , quæ difficulter dissolvitur .

Cognita funditus harum febrium Pathologia ad nostram Therapejam rationalem accedamus . Primus qui detexit Radicis Brasiliensis proprietatem fuit Helvetius , qui pro tali invento in donum a Galliarum Rege mille Numos aureos

accepit . Et licet ab aliquibus tam utilis inventio Grenier attribuat , Grenier tamen fuit tantum negotiator , & tam nobilem Radicem ad Helvetium tranfmifit . Habet hæc Radix vires antidotales , fudoriferas , & quidem vomitivas . Habet facultatem abftergendi , meatus referandi , ac infarctus resolvendi . Vis purgativa , & emetica una fimul & adstringens in ea eft . Unius noctis fub dio maceratione medicam virtutem liquoribus communicat . Pofttea caput mortuum refervatum , denuoque eodem modo præparatum in eundem ufum exhibetur , minus quidem efficax ad purgandum , vel vomendum , fed magis adstringens , ita ut Radix hæc non folum materiam morbificam licet tenaciffimam a parte affecta revellat , fed & adstringendo viscerum tonum reftituat . Hinc illam in dyfentericis fluxibus , qui ab ingeftis præcipue dependent , & in infarctu ventriculi fedem habent , & in quibus nulla fufpicio inflammationis adest , ut incomparabile Auxilium Medici experti funt .

Hæc igitur mane jejuno ftomacho eo modo , quo jam fuperius diximus præparata exhiberi debet , & non tota fimul , fed partitis vicibus paulatim in ventriculum ingefta , & ufque dum vomitio fufficiens , aut purgatio cum ægro- tantis Euphoria fuperveniat . Tali enim pacto violenti , & vehementes corporis motus evitantur , qui ex partium , quæ in emetico reperiuntur , tenuitate produci poffunt . Interim five fingulis diebus , five alternis , ut judicium præ- ticum decernit , fimili modo exhibenda eft , & tandiu in ejufdem ufu perfiftendum , donec ventriculi , intef- tinorum , mefenterii , & aliorum viscerum morbida farci- na fit , & per inferiores , & per superiores partes ex- purgata . Quod fi poft unam , aut alteram exhibitio- nem adftrictione , & corroboramento potius , quam pur-
ga-

gatione opus sit , secunda decoctio , aut infusio , utpote magis adstringens , quam purgans , propinanda est ; quia facultas purgativa facilius , & facultas adstringens difficilius elicitur .

Patet igitur hanc admirabilem Brasiliensem Radicem e directo morbificæ causæ adversari . Et quodnam potest umquam aut efficacius , aut tutius exhiberi remedium ? Hoc enim modo Phlegma ponderosum stomachi plicis coalescens , quod cathartica quævis præterlaberentur , veluti scopis purgatur . Insuper partes vicinæ , hepar , pancreas , mesenterium , lien concussione valida commoven-
tur , adeo ut obstructions in iis factæ , & quæcunque alia sanguinis impedimenta hoc admirabili præsidio extirpen-
tur .

Expiata vero hoc modo gastrica cacochymia aliquando febres omnino definunt , aliquando tantum diminuuntur : nam vitium relictum in sanguine adhuc fomitem febrilem nutrit . Quid igitur faciendum , moliendumque putemus ? Ad Rhabarbarum confugiendum est : at non eo quidem modo , quo exhiberi solet , exhibendum , sed a prandio quatuor horis ad dimidium drachmæ integrum sumendum , & diu ore detentum , & cum saliva commixtum , ac bene dentibus comminutum postea deglutiendum . Quia scilicet hoc modo sumptum ne minimum quidem caloris producit , quia a chylo temperatur , & ita temperatum in sanguinem inducitur ad reliquias febriles accensas extinguendas . Per repetitas observationes , & experimenta didicimus , Rhabarbarum hoc modo sumptum spiritus animales non accendere , sed sua vi tum purgante , tum adstringente glutinosam lympham incidere , fero-sulphureas particulas cicurare , villos sanguinis in ordinem redigere , succis digestivis virtutem reddere , solidorum vim re-
sti-

stitueret , & expulso fermento , & roboratis cribris , febres eliminare . Hinc vere dici potest & hepatis cor , & viscerum pater , & admirabile febrifugum , ut testatur etiam Montanus .

Verum enim vero annotandum est hac methodo solummodo utendum esse , ubi autumnalis constitutio humida existit , ubi laxitas fibrarum adjuncta est , & ubi vitiosa cacochymia tum gastrica , tum venosa simul existit . Nam si aliquando ob præcedentes aliquas causas aut fibrarum irritatio adfit , aut phlogosis existat in sanguine , non ad hanc methodum accedendum puto , nisi præmissa sanguinis missione , & laxatis fibris , emollientibus , laxantibus , nitratis , & refrigerantibus medicamentis . Neque is sum , ut tali semper methodo insistendum esse contendam : nam imminente periculo , præcipue si febres perniciosæ sint , & in malignas possint degenerare , quod cognoscitur , si oris amaritudo , cibi cujuslibet fastidium , pertinaces vigiliæ , & maxima virium prostratio adjunctæ sint ; tali in casu , priusquam ungues firmentur , & crescant , domandus est Leo , & ad Kinæ Kinæ usum dosi paulo generosiori , & sæpius repetita ipsomet morbi initio est confugiendum . Duplex enim semper adest febrium curatio , regularis , quæ respicit causas , & urgens , quæ ad majus periculum evitandum dirigitur . Sed si nulla necessitas urgeat , & maximus crudorum humorum apparatus in mesenterio sit , in tam impuro corpore Kinam Kinæ dare aliquando in ægrotantis periculum vertitur . Fateor me non semel observasse admirabilem corticem hisce in febribus exhibitam incredibilem quidem per secessum copiosam materiam educere , at numquam febres fugare , unde mihi suspectum , illis in casibus ubi talia contingunt , tale præsidium est . Et hoc modo evenire puto , quia hu-
mo-

mores vitiosi in superioribus partibus insidentes , cum per inferiora educuntur , in intestinorum transitu per mesentericas venas insinuantur , & in sanguineum laticem introductæ magis , ac magis illum coinquinant , & ad febricitandum disponunt . Ex quo Medici discant , quam noxia sint purgantia medicamenta harum febrium initio propinata .

Sed de febribus autumnalibus satis : transeamus nunc ad aliquid dicendum de eximia hujus Radicis præstantia in febribus lentis aut continuis , aut recurrentibus , in quibus humores viscidi aut pituitosi , aut lymphatici , crassi tamen tenacesque prædominantur ; & qui non ex viscere affecto , non ex tumore , vel ulcere aliquo producantur , sed ventriculi plicis , aut intestinorum cavitatibus , aut mesenterii glandulis inhærent , & cum anorexia , aut apoplexia , cum nausea , & quandoque etiam vomitu manifestantur , in quibus extirpandis quam utilis sit admirabilis Radicis usus , vel ex illo colligi potest , quod & fibrarum inertiae , & humorum adhesionibus adversatur . Quemadmodum observavi præterito æstivo tempore in quadam Matrona tum nobilitate , tum omnium virtutum genere præstantissima , quæ postquam copiosissimum sanguinis uterinum profluvium per triginta , & quinque dies passa esset , suppresso repente sanguine incidit in febrem lentam continuam fere omotonam , a qua doloribus per universum corpus , ac præcipue circa thoracis partes tum anteriores , tum posteriores , vigiliis pertinacissimis , frequenti vomitu , nausea , anorexia , & frequentibus convulsionibus , quibus tamen multo tempore antea vexabatur , per centum , & quinquaginta dies aggressa fuit . Nam cum aliquid phlegmatis ponderosi apparuisset , præmostrante natura viam intra quadraginta dies quatuor vicibus per admirabilem Brasiliensem Radicem

cem ad pondus duorum scrupulorum per vomitum purgata fuit , cum vomitu phlegma ponderosum , viscidumque ad plures libras semper eliminatum cum maxima ejusdem Matronæ , saltem quoad febrem , & dolores , utilitate . Neque ullum unquam aut in stomacho , aut in œsophago , aut in viribus damnum aut vomitus tempore , aut postea fuit observatum . Quid nunc dicent nonnulli hujus Civitatis Medici aut nimis vafri , aut ingenio nimis obesi , qui cum in quodam nobilissimo sene admirabilis Radix a nobis , suadente Bertio , non ignobili Practico , eo modo , quo fuit a nobis superius expositum exhibita esset , & post duos dies per integrum diem , integramque noctem cum inani vomendi conatu animo delinqueret , infontem Radicem criminari ausi sunt ? At nunquam in tantum errorem incidissent , si aphoristicam illam sententiam legissent , quæ nos edocet *a tuberculi intus ruptione exsolutionem , vomitionem , aut animi defectionem fieri* ; quod an evenerit in nobilissimo Comite , vel ex illo apertissime colligi potest , vomitum materiæ purulentæ fuisse sequutum , quæ etiam per quadraginta dies aut in secessu , aut in urinis cernebatur , quo tempore nulla esculenta , potulentaque sumens per quatuordecim dies , macie confectus evolavit ad superos . Quomodo hujus phænomeni causa ex Radicis usu peti potest ? quæ in ventriculi affectionibus ex Rajo datur optimo successu , neque umquam ulcus aliquod ab illo præsidio excitari potest , quod veneno ex Guillelmo Pisone adveniatur , & ex quo vomitus sanguineos , hæmoptises horrendas , urinas cruentas , hæmorrhoidales fluxus , imo hæmorrhagias narium abundantissimas , ac perniciosissimas sanatas vidit doctissimus Mangeti , quemadmodum legitur in ejus Pharmaceutico-Medica Bibliotheca . Et quamvis maximis præcautionibus adhibenda hæc Radix sit ; attamen nemo unquam men-

(XIII.)

mentis constans asseverabit , tales effectus ab infonte remedio potuisse produci . Latebat enim Tuberculum , vitium ex sua natura clanculum in posteriori stomachi parte , quod nunquam a Medicis detegi potuit . Quæ est igitur tanta licentia , ne dicam impudentia , dampnandi sine consilio , sine examine , sine ulla & morbi , & symptomatum cognitione ea quæ a Medicis Practicis factitantur ?

Sed e diverticulo in viam . Quantum vero valeat Radix ista admirabilis in febribus tum intermittentibus , tum continuis , æstivis temporibus sævientibus , satis est cogitare vomitus facilius æstate supervenire , quam alio tempore : humores tunc temporis , qui peccant , esse biliosos , & naturam ipsam per superiores partes ad materiam morbosam vincendam proclivior . Hoc enim modo humores per illas partes educuntur , in quibus canales minime adsunt , qui ad cor deferantur , & febrili fermento via intercluditur , quæ illud in sanguinem perducit . Fatemur sancte , ac sincere nos innumerabiles curasse febres solo hujus radice usu , neque unquam Recidivam observasse , quemadmodum frequenter evenit in illis , qui Peruviano cortice sanati sunt . Hac eadem Radice etiam feliciter fugavimus quartanas febres , erraticas , & illas , quæ identidem accenduntur , ita ut vere dici possit in gastrica , & venosa cacochymia , ubi ventriculi succi enervantur , ubi hepar , pancreas , & intestinorum , & mesenterii glandulæ infarctæ sunt , & ubi lienis obstructions , & durties persistunt , Radicem Ipecacuanhæ , opportune tamen Rhabarbaro in consortium arcessito , singulare præsidium esse , ita ut nullum aliud præsidium cum hujusmodi præsidiis possit æquiparari .

F I N I S .

